



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ, perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa

Et In octo Partes ... distincta ...

De Ivstitia Et Contractibvs

Vindalium, 1646

Sect. II. De emptione & venditione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38850

SECTIO II.

De emptione & venditione.

CONCLUSIO I.

INter contractus onerosos emptio, & venditio numerari solet.) De hac materia tractat. S. Thomas 2.2. quæst. 77. per quatuor articulos, quorum 1. inquit, an licitè possit quis rem vendere, plus quàm valeat. Respondet autem 1. fraudem adhibere ad hoc, vt aliquid plus iusto pretio vendatur, omninò peccatum esse, inquantum aliquis decipit proximū, in damnum ipsius. 2. carius vendere, vel vilius emere rem, quàm valeat, esse secundum se iniustum & illicitum. 3. interdum tamen per accidens licitam esse, vendere rem carius quàm secundum se valeat, nempe quando venditor ex illius venditione damnum aliquot incurrit. 4. si aliquis multum iuuatur ex re alterius quam accepit, ille verò qui vendit non damnificatur, carendo re illa, eum non debere eam superuendere; quia vtilitas quæ alteri accrescit, non est ex venditio-

ne, sed ex conditione eumentis. Nullus autem debet vendere alteri, quod non est suum, licet possit ei vendere damnum quod patitur. 5. etsi in foro externo, fraudantes infra dimidium iusti pretij, ad nullam restitutionem cogantur; secus tamen contingere in foro conscientiae, cum nemo retinere possit, quod iniuste acquisitum est. 6. iustum pretium rerum non esse punctualiter determinatum, sed magis in quadam aestimatione consistere; ita ut modica additio, vel imminutio non videatur tollere aequalitatem iustitiae.

Articulo 2. quærit, utrum venditio reddatur illicita, propter defectum rei venditæ. Ad quod multipliter respondet. 1. fraudem committi in venditione, si venditor in re quam vendit, cognoscat defectum, vel secundum speciem rei, ut si aurichalcum vendat pro auro; vel secundum quantitatem, ut si scienter utatur deficienti mensura; vel secundum qualitatem, ut si animal infirmum vendat, quasi sanum. 2. quando fraus scienter in his committitur, vendentem non solum peccare, sed etiam teneri ad restitutionem. 3. si verò eo ignorante aliquis prædictorum defectuum in re vendita reperiat, eum quidem non peccare, teneri tamen cum ad eius notitiam venerit,

damnum recompensare emptori. 4. quod dictum est de venditore, debere etiam intelligi ex parte emptoris; eum scilicet teneri ad restitutionem, quando scienter emit rem, quam venditor putat esse minus pretiosam, ut si vendat ipsi aurum pro aurichalco. 5. mensuras rerum venalium in diuersis locis esse diuersas, propter diuersitatem copiae, & inopiae rerum. Nec licitum esse eas praeterire, quando publica auctoritate, vel consuetudine institutae sunt. 6. Pretium rerum venalium non considerari secundum gradum naturae, cum quandoque pluris vendatur vnus equus, quam vnus seruus; sed secundum quod res in usum hominum venit.

Articulo 3. quaerit, vtrum venditor teneatur dicere vitium rei venditae. Et respondet 1. venditorem teneri dicere vitium occultum rei venditae, quando emptor ex tali vitio damnum, vel periculum incurrere potest; quod tunc fit quando res tanti venditur, ac si vitio illo occulto careret; aut si propter huiusmodi vitium, vsus rei reddatur impeditus vel noxius, ut si vendat equum claudicantem, pro veloci. 2. eum tamen non teneri dicere vitium manifestum rei venditae, si propter illud

DE IUSTITIA. CAP. IV. 61

subtrahat quantum oportet de pretio; quia forte ratione eiusmodi defectus, vellet emptor plus subtrahi de pretio, quam esset subtrahendum. Unde indemnitati suæ consulere potest, vitium rei reticendo.

Artc. 4. quærit, vtrum liceat negotiando, aliquid carius vendere, quam emere. Ad hoc autem respondet 1. omnibus licitum esse negotiari, propter res necessarias vitæ consequendas, Turpe verò esse negotiari propter lucrum, nisi aliquis finis necessarius, vel honestus intendatur; vt dum quis lucrû moderatum, quod negotiando quærit ordinat ad domus suæ sustentationem, vel ad subueniendum indigentibus. 2. non omnem qui carius vendit aliquid, quam emerit, negotiari, sed eum tantum qui ad hoc emit, vt carius vendat: si enim emit rem, non vt vendat, sed vt teneat, & postmodum propter aliquam causam eam vendere velit, non est negotiatio, quamuis carius vendat. 3. posse aliquem carius rem vendere, quam emerit, vel quia in aliquo eam melioravit; vel quia pretium rei est mutatum, secundam diuersitatem loci, aut temporis; vel propter periculum cui se exponit, transferendo rem de loco ad locum. Verùm vt doctrina horum arti-

culorum, quæ magni est momenti, illustrior euadat, duæ resolutiones statuendæ sunt. Sit ergo.

CONCLUSIO II. In contractu emptionis, & venditionis iniustitia committi potest, ex parte pretij.) Hoc melius explicari non potest, quàm respondendo ad tres difficultates, quæ sese hic offerunt. Quæritur enim, quid sit emptio, quid venditio. Respondeo iuxta Legisperitos, emptionem esse rei pro pretio contractionem, venditionem verò esse distractionem rei pro pretio. Et iuxta quosdam Theologos, emptionem esse contractum quo datur pretium pro merce. Venditionem autem, contractum quo datur merx pro pretio. Vbi nomine mercis intelligunt, quamlibet rem vendibilem, per pretium autem intelligunt pecuniam secundum suum valorem spectatam; quanquam hæc secundum suam materiam, variosque vsus quos habere potest, etiam sub merce comprehendi possit. Verum quia alij putant,posito mutuo consensu exterius expresso, contractum emptionis, & venditionis esse perfectum quoad substantiam, ij malunt definire contractum emptionis & venditionis, per obligationem tradendi pretium pro merce, & mercem pro pretio, quàm

DE IUSTITIA. CAP. IV. 63
per traditionem ipsam.

Quæres 2. quid dicendum sit de iustitia, vel iniustitia contractus emptionis & venditionis, ex parte pretij Respondeo 1. hunc contractum esse iustum, quando pretium est æquale rei venditæ, iniustum verò quando non est æqualitas inter pretium, & rem quæ venditur. Quod duobus modis fieri potest, nempe vel ita ut pretium excedat valorem rei, vel ita ut ab illo excedatur.

Respondeo 2. ad iudicandum de valore rei, non tantum considerandam esse perfectionem entitativam & substantialem, sed etiam & maximè usum & necessitatem moralem rei quæ venditur. Item copiam vel inopiam illius, multitudinem & paucitatem ementium aut vendentium, laborem in re procuranda susceptum. idque necessariò, & non casu aut per accidens. Ex his enim aliisque id genus augeri, vel minui mercium valorem dubitari non potest. Quare pretium quod iis omnibus spectatis, à Principe taxatur. omnino iustum est, consistitque in indivisibili; ita ut nequeat augeri, vel minui. Et communiter vocatur pretium legitimum. Quia tamen ut plurimum determinatio pretij rerum venalium, per legem publicam fieri non potest, constitutio

pretij cuiuslibet rei, communi prudentum iudicio relinquitur. Tale autem pretium vocatur arbitrium, habetque quandam latitudinem, cum vulgò diuidatur in summum seu rigidum; medium, seu moderatum, vel mediocre; & infimum, seu pium, vel minimum. Quò fit, vt possit mercator, sine iniustitia, eadem merces vni viliùs vendere, & alteri cariùs, intra latitudinem pretij; non autem si pretium sit legitimum, seu publica lege constitutum; quia hoc consistit in indiuisibili, vt dictum est.

Quæres 3. an interdum res possit licitè plus vendi, aut minoris emi, quàm valeat. Respondeo 1. semper illicitum esse, ex vi contractus emptionis & venditionis, rem vendere plus aut emere minoris quam valet: hoc enim est contra æqualitatem iustitiæ quæ postulat, vt venditor non grauetur, accipiendo minus quam dat; nec emptor, dando plus quam accipit. Confitmatur ratione S. Thomæ 2.2. quæst. 77. art. 1. quia emptio & venditio videtur esse introducta, pro communi ciuium vtilitate, dum scilicet vnus indiget re alterius, & econuerso: quod autem pro communi vtilitate inductum est, non debet esse magis in grauamen vnus, quàm alterius. Et ideo

DE IUSTITIA. CAP. IV. 65
debet secundum æqualitatem rei, con-
tractus inter eos institui.

Respondeo 2. etsi ex eo capite, nun-
quam liceat plus petere, aut dare minus,
quàm res valeat; posse tamen id fieri li-
citur, ex quibusdam aliis titulis, qui
per accidens cum ipso contractu vendi-
tionis coniunguntur. Primus titulus est,
donatio, quæ tamen rarò præsumenda
est, maximè inter extraneos. Secundus,
damnum emergens: potest enim quis legi-
timè petere compensationè damni, quod
ratione emptionis aut venditionis subit,
vt docet S. Thomas loco citato. Ter-
tius, lucrum cessans, alioqui certò aut
probabiliter euenturum; quia cùm hoc sit
pretio æstimabile, potest illius compen-
satio fieri, deductis expensis, ac iuxta ma-
iorem, aut minorem probabilitatem lu-
cri. Alter tamen contrahentium moneri
debet, tam de hoc, quàm de præcedenti
incommodo, in gratiam illius suscepto;
quia fortè nollet illud redimere. Hinc
autem collige, non licere, titulo lucri
cessantis rem nunc cariùs vendere, quia
futuro tempore plus est valitura; nisi
alioqui in illud tempus fuisset seruanda.
Et similiter in contractu mutui non li-
cet, hoc titulo aliquid accipere supra
sortem, ex pecunia quæ negotiationi ex-

ponenda non erat, quia tunc nullum est
lucrum cessans.

Quartus, aliquod grauamen pretio æsti-
mabile, in gratiam alterius contrahentis
susceptum, vt si creditò vendens exponat
se probabili periculo amittendi pretium,
aut partem illius, vel illud non recupe-
randi, nisi cum expensis & molestiis; tale
siquidem periculum est pretio æstimabi-
le, adeoque ratione illius, aliquid am-
plius quam res tunc valeat, exigere licet.
Sicut etiam licet rem aliquam, anticipa-
ta pecunia minoris emere, quàm valitura
sit traditionis tempore, tum propter dam-
num emergens, aut lucrum cessans, tum
propter periculum rei non recuperandæ.
Vnde communiter excusantur, qui lanas
anticipata solutione, minori pretio
emunt. Non tamen præcisè propter anti-
cipationem, vel dilationem solutionis,
licet iustum rei pretium minuere, vel
augere; sed vt hoc licitè fiat aliquis
alius titulus ex prædictis, ad inæqualita-
tem illam concurrere debet.

Ex his autem collige, monopolia ex-
ercentes grauius peccare, tum quando
inter se conueniunt, de re vendenda supra
pretium rigorosum; tum quando om-
nes merces alicuius generis emunt, vt in
tempus caritatis, animo pretium augendi,

DE IUSTITIA. CAP. IV. 67
eas seruent; rum quando impediunt, ne
merces aliunde aduehantur, vt ipsi suas
maiori pretio vendant.

CONCLUSIO III. Potest etiam
iniustitia committi in emptione & ven-
ditione, ratione rei venditæ.) Duo sunt
modi huius iniustitiæ. 1. si vendatur res
quæ vendi non potest, vt res spiritualis.
2. si res venditur vt sana & integra, cūta-
men occultū aliquod habeat vitiū ratio-
ne cuius redditur notabiliter minūsvtilis
ad id, pro quo emitur. Quare debet ven-
ditor eiusmodi defectus notabiles mani-
festare emptori, eos scire cupientis; alio-
qui tenetur ex iustitia restituere pretiū,
damnumque ex venditione sequutum re-
sarcire; quia tunc adest dolus dans cau-
sam contractui. Vnde etiam in foro ex-
terno datur emptori actio redhibitoria,
ad rehabendam pretium restituendo
mercem.

Verūm Nota 1. contractum valere, si
ex hypothesi quod defectus mercis fuisset
reuelatus; emptor nihilominus emis-
set, quanquam minori pretio; & vendi o-
rem tunc teneri duntaxat ad restitutio-
nem excessus pretij; dari tamen contra
illum in foro externo actionem, quæ in
Iure vocatur, Quanto minoris, etiam
quamuis mercis defectus ipsi ignotus es-
set.

Nota 2. quando emptor ita suo iudicio fedit, ut nihil interrogans de vitio rei, unam ex multis eligat, venditorem non peccare contra iustitiam vitium rei occultum etiam notabile non detegendo; modo iustum pretium exigat, & dolo vitium non contegat, nec rem vitio affectam inter integras ponat, ne ab emptoribus discerni possit: sic enim venditor nullam facit ei iniuriam, siue in contractu, siue in modo eum alliciendi ad contrahendam. Et si quæ deceptio hinc contingit, debet emptor eam sibi imputare. Tenetur tamen venditor ex charitate, emptori defectum indicare, saltem post contractum. Imò ex iustitia, si emptor aliquod inde damnum sit incursum; nisi ille præterea proprio periculo rem emiserit.

Nota 3. venditorem non teneri manifestare vitium occultum, quando propter illud res non redditur notabiliter minus utilis ad id, pro quo emitur; etiam si præsumat fore, ut emptor non emeret si vitium agnosceret. Quia tunc emptor censetur irrationabiliter iuitus, cum nulla, aut parua ei fiat iniuria. Et alioqui valde durum est, obligare mercatores ad detegenda omnia vitia mercium quas vendunt; quia sic valde decresceret earum

DE IUSTITIA. CAP. IV. 69

pretium, & commercium paulatim tolleretur. Si tamen empra non est, nisi sub conditione quòd vitio careat, contractus nullius est valoris, defectu conditionis: sicut etiam est irritus, quando venditor interrogatus de occultis rei vitijs, etiam minoris momenti, ea non declaravit.

Nota 4. quando vitium est apertum, venditorem non teneri per se loquendo, illud manifestare; cum emptor explorare debeat, an res quam emisit sit sana & integra, adeoque si decipiatur, sibi imputare debeat: ad hoc tamen teneri saltem ex charitate, quando videt ab emptore ignorari vitium rei ut plerumque accidit. Quanquam in tali casu, non datur actio in foro externo contra venditorem, nisi ultra dimidium iusti pretij emptorem defraudaverit.

Nota 5. contractum valere, quando venditor ignorat vitium rei, eum tamen comperto postea vitio, non posse ab emptore accipere supra iustum pretium rei vitio affectæ; sed non obligari ad compensationem damnorum, quæ sine ipsius culpa ex re vendita orta sunt, cum non sit eorum causa.

Nota 6. venditorem, in utroque foro teneri, de vitio occulto ipsi noto, etsi in contractu generatim dicat, se nolle tene-

ri de vitiis occultis rei, si quæ in ea sint. Unde in foro externo datur actio, contra venditorem agri affecti seruitute sibi nota, quamuis dixerit se nolle teneri de seruitute, si quam ager habet. Si autem venditor ignorabat vitium, & pretium fuit æquale, spectato periculo quod emptor in se suscepit, aliisque circumstantiis, ad nihil tenetur, etsi postea vitium deprehendat.

Ex dictis collige, quid dicendum sit ad quæstionem illam, quam nonnulli proponunt; an emptor qui vult restituere re, propter occultum notabile vitium in ea deprehensum, teneatur restituere illius fructus, quos à tempore contractus percepit. Respondeo affirmatiuè, quia cum in eo casu contractus fuerit nullus, dominium rei venditæ mansit penes venditorem, qui proinde illius fructus habere debet, deductis tamen expensis, quia res domino fructificat. Verum tenetur venditor vice versa, non modo restituere pretium emptori, sed etiam resarcire damna, si quæ ex rei vitiosæ venditione orta sunt.